INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXVIII

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. WILH. WEISSBRODT** DE USU PRONOMINUM HIC ET IS QUAESTIO.
PARTICULA I.

BRUNSBERGAE, 1878.

TYPIS HEYNEANIS.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

Dr. JOS. BENDER,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

De usu pronominum *hic* et *is* quaestio.

Particula I.

De usu pronominum *hic* et *is* cum alii, tum Reisigius et Haasius (Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft, inde a § 206) accuratissime exposuerunt. Ut vero paucissima quaedam, quae virorum doctorum observationibus addere posse videor, argumentis comprobem, non possum quin ex libris et inscriptionibus haec vobis, quae perlustretis, subiiciam.

I. Iustiniani Digesta.

Digesta Iustiniani Augusti a Theodoro Mommsen recognita (Berolini MDCCCLXX) et in antiquo titulorum indice et in ipsis libris titulos habent hosce:

Libri I, VI.	*De his, qui sui vel alieni iuris sunt.*
XXI.	*De officio eius, cui mandata est iurisdictio.*
Libri II, V.	*Si quis in ius vocatus non ierit sive quis eum vocaverit, quem ex edicto non debuerit.*
VII.	*Ne quis eum, qui in ius vocabitur, vi eximat.*
X.	*De eo, per quem factum erit quo minus quis in iudicio sistat.*
Libri III, I.	*De his, qui notantur infamia.*
Libri IX, III.	*De his, qui effuderint vel deiecerint.*
Libri XIII, IV.	*De eo, quod certo loco dari oportet.*
Libri XIV, V.	*Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur.*
Libri XX, I.	*De pignoribus et hypothecis et qualiter ea contrahantur et de pactis eorum.*
Libri XX, IV.	*Qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur et de his, qui in priorum creditorum locum succedant.*
Libri XXVI, V.	*De tutoribus et curatoribus datis ab his, qui ius dandi habent.*

Libri XXVII, V. *De eo, qui pro tutore prove curatore negotia gessit.*
Libri XXVII, IX. *De rebus eorum, qui sub tutela vel cura sunt, decreto non alienandis vel supponendis.*
Libri XXVIII, IV. *De his, quae in testamento delentur.*
Libri XXXIV, VI. *De his, quae poenae causa relinquuntur.*
Libri XXXIV, VIII. *De his, quae pro non scriptis habentur.*
Libri XXXIV, IX. *De his, quae ut indignis auferuntur.*
Libri XXXV, I. *De condicionibus et demonstrationibus et causis et modis eorum, quae in testamento scribuntur.*
Libri XXXVII, VIII. *De coniungendis cum emancipato liberis eius.*
Libri XXXVII, IX. *De ventre in possessionem mittendo et curatore eius.*
Libri XXXVIII, X. *De gradibus et adfinibus et nominibus eorum.*
Libri XLIII, IV. *Ne vis fiat ei, qui in possessionem missus erit.*
Libri XLIII, X. *De via publica et si quid in ea factum esse dicatur.* (Sic in ipso libro LXIII, in indice aliud quid legitur, quod transscribere non attinet.)
Libri XLIII, XII. *De fluminibus, ne quid in flumine publico ripave eius fiat, quo peius navigetur.* (In indice alius numerus est.)
Libri XLVII, IV. *Si is, qui testamento liber esse iussus erit, post mortem domini ante aditam hereditatem subripuisse aut corrupisse quid dicetur.* (In indice nullum pronomen legitur.)
Libri XLVIII, XXI. *De bonis eorum, qui ante sententiam vel mortem sibi consciverunt vel accusatorem corruperunt.* (In indice est: *damnatorum*, non *eorum.*)
Libri XLIX, XI. *Eum, qui appellaverit, in provincia defendi.*
Libri XLIX, XII. *Apud eum, a quo appellatur, aliam causam agere compellendum.*
Libri L, II. *De decurionibus et filiis eorum.*

II. Institutiones.

Eiusdem Iustiniani Institutiones titulos, qui in censum veniunt, apud Kruegerum (editio Berol. a. MDCCCLXVII) habent hosce:

Libri I, VIII. *De his, qui sui vel alieni iuris sunt.*
Libri I, XX. *De Atiliano tutore vel eo, qui ex lege Iulia et Titia dabatur.*
Libri III, XI. *De eo, cui libertatis causa bona addicuntur.*
Libri IV, VII. *Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicitur.*
X. *De his, per quos agere possumus.*

III. Codex.

Cum Digestis et Institutionibus plane consentit Codex (ed. Krueger Berol. M·D·CCCLXXVII) Iustinianeus.

Libri I, tit. I. *De summa trinitate et ut nemo de ea publice contendere audeat.*
II. *De sacrosanctis ecclesiis et de rebus et privilegiis earum.*
III. *De episcopis et clericis ... et privilegio eorum.*
XII. *De his qui ad ecclesias confugiunt.*
XIII. *De his qui in ecclesiis manumittuntur.*

XXV.	*De his qui ad statuas confugiunt.*
L.	*De officio eius qui vicem alicuius iudicis obtinet.*
LII.	*De annonis et capitu ... eorumqui aliquas consecuti sunt dignitates.*
LIII.	*De contractibus iudicum vel eorum qui sunt circa eos et inhibendis donationibus in eos faciendis.*
Libri II, XIV.	*De his qui potentiorum nomine titulos praediis adfigunt vel eorum nomina in lite praetendunt.*
XIX.	*De his quae vi metusve causa gesta sunt.*
XLIV.	*De his qui veniam aetatis impetraverunt.*
L.	*De restitutione militum et eorum qui ... afuerunt.*
Libri IV, XXI.	*De fide instrumentorum et amissione eorum et de his quae sine scriptura fieri possunt.*
XXVI.	*Quod cum eo qui in aliena est potestate negotium gestum esse dicitur.*
Libri V, II.	*Si rector provinciae vel ad eum pertinentes dederint.*
VI.	*De interdicto ... inter curatorem liberosque eorum.*
VII.	*Si quacumque praeditus potestate vel ad eum pertinentes ...*
XXVII.	*De naturalibus liberis et matribus eorum.*
XLV.	*De eo qui pro tutore negotia gerit.*
LXII.	*De excusationibus et temporibus earum.*
Libri VI, VII.	*De libertis et eorum liberis.*
XIII.	*De bonorum possessione, quae patronis vel liberis eorum datur.*
XXXV.	*De his quibus ut indignis auferuntur.*
XLI.	*De his quae poenae nomine relinquuntur.*
XLV.	*De his quae sub modo legata relinquuntur.*
LII.	*De his qui ante apertas tabulas hereditates transmittunt.*
LXI.	*De bonis ... et eorum administratione.*
Libri VII, X.	*De his qui a non domino manumissi sunt.*
XVIII.	*... de rebus eorum qui ad libertatem proclamare non prohibentur.*
XXIII.	*De peculio eius qui libertatem meruit.*
XL.	*De ... praescriptionibus et interruptionibus earum.*
XLVII.	*De sententiis quae pro eo quod interest proferuntur.*
XLVIII.	*De poena eius, qui iudicem corrumpere curavit.*
LXVII.	*De his qui per metum iudicis non appellaverunt.*
LXX.	*Ne liceat post duas sententias iudicum eas retractare.*
LXXV.	*De revocandis his quae per fraudem alienata sunt.*
Libri VIII, XVIII.	*De his qui in priorum creditorum locum succedunt.*
LI.	*De his qui ... sanguinolentos emptos vel nutriendos acceperunt.*
Libri IX, X.	*Si quis eam cuius tutor fuerit corruperit.*
XVII.	*De his qui parentes vel liberos occiderunt.*
XXIII.	*De his qui sibi adscribunt in testamento.*
XXX.	*De seditiosis et his qui plebem audent colligere.*
XXXIX.	*De his qui latrones occultaverint.*
Libri X, VI.	*De his qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam acceperunt.*
XXXII.	*De decurionibus et filiis eorum.*

XXXV.	*Quando et quibus debetur quarta pars et de modo distributionis eorum.*
XL.	*De his qui studiorum causa in alia civitate degunt.*
XLIV.	*De his qui sponte munera susceperunt.*
XLV.	*De his qui a principe vocationem acceperunt.*
LII.	*De his qui numero liberorum vel paupertate excusationem meruerunt.*
LV.	*De his qui non impletis stipendiis sacramento soluti sunt.*
LXI.	*De his qui in exsilium dati sunt.*
LXII.	*De filiis familias et quemadmodum pater pro his teneatur.*
LXXV.	*De his quae ex publica collatione illata sunt.*
Libri XI, XXXV.	*De periculo eorum qui pro magistratibus intervenerunt.*
XXXVIIII.	*De his qui ex officio conveniuntur.*
LXII.	*De fundis patrimonialibus et eorum conductoribus.*
LXVIIII.	*De praediis tamiacis et de his qui ex colonis dominicis procreantur.*
Libri XII, III.	*De consulibus et non spargendis ab his pecuniis.*
XXVIII.	*De privilegiis eorum qui in sacro palatio militant.*
XLV.	*De desertoribus et occultatoribus eorum.*
LII.	*De apparitoribus praefectorum praetorio et privilegiis eorum.*
LIV.	*De apparitoribus magistrorum militum et privilegiis eorum.*
LIX.	*De diversis officiis et probatoriis eorum.*

Claudat vero agmen titulus LVI libri decimi:

Quibus muneribus excusantur ii, qui post impletam militiam vel advocationem per provincias suis commodis vacantes commorantur et de privilegiis eorum.

Nullo horum locorum, nisi fallor, librorum manuscriptorum ulla extat dissensio; in reliquis Digestorum, Institutionum, Codicis titulis pronomina *hic* et *is* non inveniuntur.

Non poteris non mirari, quod pronominis *hic* nullum nominativum singularis, nullum genetivum cet. legis, sed solus dativus vel ablativus pluralis tibi occurrit, saepenumero autem plurimi casus pronominis *is; ii* semel tantum vidisti, *iis* autem numquam.

Digestorum antiquissimus liber manuscriptus est Florentinus, saeculo septimo exaratus, Institutionum et Codicis libri manuscripti non antiquiores sunt saeculo decimo. — Apparet aut librarios pronomina confudisse, aut iureconsultos.

Priusquam vero quaeramus, num ipsi iureconsulti, qui Digesta, Institutiones, Codicem saeculo sexto litteris consignaverunt, ita peccaverint, de aetate, qua ita peccari coeptum sit, erit dicendum. Difficillima ea est quaestio, quippe quae omnia et librorum et inscriptionum genera complectatur, neque ignoro, nondum ei posse satisfieri; attamen viam fortasse muniemus, si leges Salpensanam et Malacitanam percensebimus.

Qui nuperrime eas tractavit, Aemilius Huebner (C. I. L. II. n. 1963), summam post, Henzenum et Mommsenum laudem omnium iudicio meruit; nostram autem quaestionem nullo verbo tetigit. Neque tetigere, qui aut de sinceritate aut de antiquitate tabularum olim dubitaverunt. Ut igitur tabulae illae re vera Domitiani aetate sint inscriptae genuinaeque ad nos pervenerint: omnis librorum, quibus latinae litterae continentur antiquiores, fides tollitur, quod ad formae *his* usum attinet. Omnes enim libri scripti, si a voluminibus Herculanensibus recesseris, multo recentiores sunt. Quamquam de antiquitate ipsarum tabularum, si quid video, iudicium absolvi nondum potest. Utut vero res se habet: in universa controversia posthac pronominum ratio ni fallor habenda erit.

IV. Lex Malacitana.

In lege Malacitana, ut iam alio loco dixi, res ita est comparata, ut ne minimus quidem scrupulus in animo tuo residat.

Nam **1.** ter ad *his* respondet relativum, quod subsequitur:

Col. I. 3—4: *ex his quorum nomine professio facta erit.*
II. 19—20: *custodes ... ab his positi qui honorem petent.*
II. 25—26: *quid de his fieri oporteat qui suffragiorum numero pares erunt.*

2. Semel relativum praecedit:

Col. III. 23—28: *qui in eo municipio II viratum petent quique ... nominatim in eam condicionem rediguntur, ut de his quoque suffragium ex h(ac) l(ege) ferri oporteat.*

3. Ter *his* ad aliquod nomen, quod in superiore aliquo enuntiato legitur, respicit:

Col. I. 29—35: *ex II viris qui nunc sunt, item ex is* (sic) *qui deinceps in eo municipio II viri erunt uter maior natu erit aut si ei causa quae inciderit q(uo) m(inus) comitia habere possit, tum alter ex his comitia habeto.*
Col. IV. 38—48: *eaque praedia ... II viris ... vendere legemque his vendundis dicere ius potestasque esto.*
Col. V. 21—35: *qui ... rationes communes gesserit ... is* (nominativus singul.) *rationes reddito decurionibus conscriptisve cuive de his accipiendis ... negotium datum erit.*

De aliis autem pronominis casibus nulla restat dubitatio:

1. Ubi relativum pronomen subsequitur.

Col. I. 7—8: *is qui comitia habere debebit.*
II. 27: *is qui ea comitia habebit.*
III. 54: *is qui adversus h(anc) l(egem) patronus cooptatus erit.*
Col. V. 18: *isve ad quem ea res pertinebit.*
40: *isque ad quem ea res ... pertinebit.*
II. 31: *is numerus, ad quem creari oportebit.*
Col. I. 19: *isque aput quem ea nominatio facta erit.*
Col. V. 38: *is per quem steterit q(uo) m(inus) rationes redderentur.*
Col. V. 41: *ea res qua de agitur.*
III. 30: *arbitratu eius qui ea comitia habebit.*
III. 41: *eius qui comitia habebit rationem ne habeto.*
Col. I. 11: *ad eum numerum ad quem creari ex h(ac) l(ege) oportebit.*
Col. I. 13: *aput eum qui ea comitia habiturus erit.*
IV. 49: *dum ea(m) legem is rebus vendundis dicant quam legem.*
Col. II. 19: *custodes ab eo qui comitia habebit ... positi.*
V. 66: *quod petetur ab eo qui eius municipi municeps incolave erit.*
I. 41: *in eo honore sunto quem suffragis erunt consecuti.*
II. 20: *in ea curia quisque eorum suffragi(um) ferto, ad cuiius curiae cistam custos positus erit.*
I. 35: *ea distributione curiarum, de qua supra conprehensum est.*
V. 62: *eoque tempore, quod is datum erit, transacto.*
Col. I. 54: *ex eo genere ingenuorum hominum, de quo h(ac) l(ege) cautum comprehensumque est.* (Redit haec formula Col. I. 58.)

IV. 29: *eaque omnia quae eorum soluta liberataque non sunt non erunt.*
Col. III. 6: *De iure iurando eorum qui maiorem partem numeri curiarum expleverit.*
8: *uti quisque eorum qui II viratum aedilitatem quaesturamve petet.*
Col. I. 9: *nomina eorum quibus per h(anc) l(egem) eum honorem petere licebit.*
Col. III. 39: *Per quem eorum, de quibus II virorum quaestorumve comitiis suffragium ferri oportebit, steterit ...*
Col. IV. 39: *si quit eorum, in quae cognitores facti erunt, ita non erit ...*
Col. IV. 35: *aput eos qui Romae aerario praeessent.*
Col. IV. 50: *quam legem eos qui Romae aerario praeerunt ... dicere oporteat.*

2. Item ubi relativum praecedit:
Col. I. 53: *Qui comitia habere debebit, is primum II vir(os) ... creandos curato.*
Col. II. 4: *Qui comitia ex h(ac) l(ege) habebit, is municipes curiatim vocato.*
II. 49: *Qui comitia h(ac) l(ege) habebit, is nomina curiarum in sortem coicito.*
Col. III. 1: *Qui aliter adversus ea fecerit, is ... d(are) d(amnas) e(sto).*
53: *Qui aliter adversus ea patronum cooptaverit, is ... d(are) d(amnas) (esto).*
67: *Qui adversus ea fecerit, is ... dare damnas esto.*
V. 21: *Quique rationes communes gesserit, is heresve eiius rationes edito.*
Col. II. 51: *ut cuiiusque curiae sorte nomen exierit, quas ea curia fecerit, pronuntiari iubeto.*
54: *uti quisque prior maiorem partem numeri curiarum confecerit, eum ... factum creatumque renuntiato.*
Col. III. 8: *uti quisque eorum ... maiiorem partem numeri curiarum expleverit, priusquam eum factum creatumque renuntiet, iusiurandum adigito.*
Col. II. 45: *uti cuiiusque nomen sorti ductum erit, ita eum priorem alis renuntiato.*
Col. II. 27: *uti quisque curiae cuiius plura quam alii suffragia habuerit, ita priorem ceteris eum pro ea curia factum creatumque esse renuntiato.*
Col. V. 9: *Quaeque multae non erunt iniustae iudicatae, eas multas II viri in publicum redigunto.*

3. Denique in formas *ea, eius, ei* (dat. sing.), *eum, id, eam, eo, ea, eae, eorum, earum, eos, eas,* quae ad aliquod nomen, quod in superiore aliquo enunciato legitur, respiciunt, incidis circiter centies.

Nominativi pluralis masculini generis, dativi et ablativi pluralis numeri insunt fere viginti quinque, quos promiscue affero.

Col. IV. 66: *ut ei, qui eos praedes cognitores ac praedia mercati erunt ...*
Col. V. 59: *iique, qui ita lecti erunt, tempus a decurionibus conscriptisve postulanto.*
Col. I. 16: *ique item qui tum ab is nominati erunt, si volent.*
Col. IV. 69: *isque* (male incisum pro *ique), ad quos ea res pertinebit.*
Col. II. 18: *iique custodes;* IV. 27: *cum ii obligati esse coeperunt;* IV. 34: *uti ii eave populo Romano obligati obligatave essent;* IV. 36: *ii praedes;* V. 54: *iique decuriones.*
Col. III. 21: *Ut de pecunia communi municipum caveatur ab is qui II viratum quaesturamve petet.*
Col. II. 47: *De sortitione curiarum et is qui curiarum numero pares erunt.*
Col. II. 61: *uti supra comprehensum est de is qui suffragiorum numero pares essent.*
Col. II. 63: *ita de is qui totidem curias habebunt facito.*
I. 29: *Ex II viris qui nunc sunt, item ex is qui deinceps erunt.*

I. 16: *ab is;* I. 21: *deque is omnibus;* III. 34 (bis); IV. 49: *is rebus vendundis;* IV. 69: *de is rebus;* V. 3: *ex is;* V. 62: *quod is datum erit;* I. 49: *eisque in ea curia suffragi latio esto;* III. 36: *ab iis.*

Negabis igitur septem illis legis Malacitanae locis, ubi *his* scriptum est, vere dativum pluralis pronominis, quod est *hic*, vindicandum esse; neque tamen diffiteor me dubitasse de uno loco col. III. 23—28: *ut de his quoque.* Nam ut adverbium *quoque* a legibus liberae reipublicae prorsus alienum est rhetoricumque quiddam spirat, ita etiam novum pronominis *hic* usum in legem Malacitanam putes irrepsisse. Sed mox vidi, illud *quoque* ablativum pronominis *quisque* esse eique ablativum *his* appositionis iure esse adiunctum, ut sit: *de iis, de unoquoque.* Simili licentia, qui leges conscripserunt, sexcenties usi sunt. Cf. legis repetundarum anni u. c. DCXXXI vel DCXXXII (C. I. L. tom. I. n. 198) v. 57 (fragm. E. v. 13): *de consili maioris partis sententia,* eiusdemque legis v. 60: *queive eiei iudicei consilioque eius maiori p(arti) satisfecerit.* Idem ablativus *quoque* est legis Malacitanae col. I. 23: *item comitia habeto perinde ac si eorum quoque nomine ex h(ac) l(ege) de petendo honore professio facta esset.* Cf. *nominatim* col. III. v. 26: *De his quoque* idem est ac: *de eorum quoque.*

V. Lex Salpensana.

In lege Salpensana unum tale *his* emergit col. II. 12: *Qui II vir(i) aut aediles aut quaestores eius municipi erunt, his II viris . . . ius potestasque esto.*

Quod nullius momenti esse apparet ex reliquis locis omnibus.

1. Nam ad *is ea id* pronomen respondet relativum quod subsequitur:

Col. I. v. 9: *in eius, qui c(ivis) R(omanus) factus erit, potestate.*
v. 11: *idque ius tutoris habeto, quod haberet, si . . .*
v. 23: *praefectus eo iure esto, quo esset, si . . .*
v. 36: *id ius eaque potestas esto, quod ius quaeque potestas . . .*
Col. II. v. 27: *is qui minor XX annorum erit . . .*
v. 28: *is numerus decurionum per quem decreta facta rata sunt.*
v. 32: *eum quem dare volet; is a quo postulatum erit.*
v. 35: *eum qui nominatus erit;* 36: *is eave cuius nomine ita postulatum erit; is a quo postulatum erit;* item v. 38; 40: *eum qui nominatus erit.*
v. 42: *ei cui datus erit.*

2. Relativum praecedit:

Col. I. 7—11: *Qui quaeque . . . civitatem Roman(am) consecutus consecuta erit, is ea . . . in potestate, manu . . . esto.*
23: *praefectum quem esse iusserit, is praefectus esto.*
26—29: *ex II viris qui proficiscetur, quem praefectum relinquere volet, facito ut is iuret.*
42—45: *quaestores qui . . . sunt, eorum quisque iuranto.*
Col. II. 8: *qui ita non iuraverit, is . . . dare damnas esto.*
30: *cui tutor non erit incertusve erit, si is eave municeps erit.*

3. Pronomen *is*, formas dico *is, ea, id, eius, ei, eam, eum, eo, ea, eorum, earum, eos, eas,* ad aliquod superioris alicuius enunciati nomen respicit circiter viginti locis, quos enumerare iam nihil attinet.

Praeterea *is* dandi casus est I. 15: *qui quaeve c(ivitatem) R(omanam) consecutus consecuta erit, is . . . eadem condicio esto, quae esset, si civitate mutatis mutatae non esset.* Tu lege: *mutati mutatae non essent.* Mommsenus, Henzenus, Huebnerus scribunt: *mutatus mutata.* Mea mihi lenior videtur

esse emendatio. Nam *is* dativus pluralis consecutum et consecutam complexus etiam ad inferiorem partem sententiae pertinet facilius, quam *ae* in *a* et *is* in *us* mutatur; *s* finalis, quae tum temporis vix audiebatur, etiam II. 14 vitiose addita est: *quaestores* pro *quaestore; n* autem nasalis, si barbara voce uti licet, sexcenties perperam aut scripta aut omissa est.

Denique I. 17 extat ablativus: *de is quae inposita sunt.* — Quapropter recte statues, loco illo col. II. 12 scripturam *his* ad vitiosam aspirationem referendam esse, cum praesertim etiam col. I. 1 *hac* pro *ac* incisum videas et bis *habeat* pro *abeat* inscriptum sit col. II. 41, 42.

Neque illa legum consuetudo ratione destituta est. Nam *hic* pronomen notum est primam personam indicare, ideoque is qui aliquam legem scribit, eam semper *hanc* dicit: *ex hac lege, adversus hanc legem, post hanc legem rogatam, posthac.* Homines autem vel res, de quibus lex agit, tertiae tantum personae pronomine significari possunt. Eamque normam in legibus liberae rei publicae sine ulla exceptione observatam esse, vix opus est demonstrare. Quid quod ne molestissima quidem repetitio eiusdem voculae, illos qui leges conscripserunt liberae rei publicae temporibus, unquam permovit, ut variationi quidquam indulgerent?

Velut in legis Rubriae (C. I. L. I. n. 205) parte II. v. 2—14 pronomen nostrum paene taedio est legentibus:

> *A quoquomque pecunia ... in eorum quo oppido ... petetur ..., sei is eam pecuniam in iure apud eum, quei ibei iure deicundo praerit, ei quei eam petet, aut ei quoius nomine ab eo petetur, debere se confessus erit, neque id quod confessus erit solvet, sive is ibei de ea re non responderit neque de ea re sponsionem faciet: tum de eo a quo ea pecunia peteita erit, deque eo, quoi eam pecuniam darei oportebit, siremps lex ius caussaque esto, atque utei esset, sei is quei de ea re non responderit, eius pecuniae ei, quei eam petiverit quoive eam dari oportebit, iure damnatus esset.*

Item eiusdem legis col. II, v. 39:

> *de eo quoi eam rem ... restitui satisve de ea re fierei oportebit, siremps lex ... esto atque utei esset, sei is quei ita quid earum rerum confessus erit aut de ea re non responderit ..., de ieis rebus apud praetorem eumve quei de ieis rebus iure deicundo praeesset, in iure confessus esset.*

Si vero in senatusconsulto, quod iam non in aere extat, sed in libris scriptis, de coercendis rhetoribus Latinis, nunc legimus:

Quapropter et his qui eos ludos habent et his qui eo venire consuerunt (Suetonius ed. Reifferscheid p. 120, Gellius N. A. XV, cap. XI. 2), persuasum habemus, Cn. Domitii Aenobarbi L. Licinii Crassi aetate aut *eis* aut *ieis* scriptum esse.

Item quod apud Gaium legitur (Institut. I. 57):

> *Veteranis quibusdam concedi solet principalibus constitutionibus conubium cum his Latinis peregrinisque, quas ...*

noli credere, Gai manum scripsisse. Nam Gaium, qui altero p. C. n. saeculo vixit, ultro liquet, diplomata militaria exscripsisse tantum, non mutavisse pronomen, quod in iis invenerat: *eius* aut *iis* aut monosyllabum *is*. Cf. Mommsen C. I. L. III. pag. 919.

Sed ut ad leges Salpensanam Malacitanam redeam: transitus hinc patet ad legem coloniae Iuliae Genetivae Urbanorum (Ephem. epigraph. vol. II. pag. 108 tab. I. v. 10, pag. 113 tab. III. v. 1.)

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Praemissa introductione in studium theologicum Apologeticen tradet diebus Lunae et Jovis hora II.
II. Introductionem generalem in sacros V. et N. T. libros dabit bis per hebd. horis definiendis.
III. S. Pauli epistolam ad Romanos nec non epistolas quas dicunt pastorales explicabit quater per hebd. hora VIII.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O.

I. Theologiam pastoralem docebit sexies per hebd. hora VIII.
II. Disciplinam catecheticam tradet diebus Martis et Veneris hora II.
III. Disputationes de rebus theologicis moderabitur binis per hebd. horis.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam medii aevi enarrabit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis hora IX.
II. Ius canonicum tradet diebus Veneris et Saturni hora IX.
III. De arte et artificibus recentioris temporis disseret bis per hebd. horis definiendis.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O.

I. Doctrinam de peccato originali deque redemptione generis humani per Christum facta exponet quinquies vel sexies per hebd. hora X.
II. Praemissa introductione selectos aliquot psalmos interpretabitur bis terve per hebd. horis design.
III. Linguae Hebraicae grammaticam adjunctis exercitiis interpretatoriis tradet ter per hebd. hora II.
IV. Aut carmen medii aevi epicum, quod a „Nibelungis" nomen ducit, explicabit, aut lectiones Fennico-Hungaricas habebit semel bisve per hebd.

Lic. Julius Marquardt, P. P. E.

I. Doctrinae ethicae quae est de virtutibus moralibus partem priorem tractabit quinquies per hebd. hora XI.
II. Repetitiones et disputationes de rebus moralibus instituet semel per hebd. hora XI.
III. Historiam literariam ecclesiae primaevae tradet bis per hebd. horis def.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Inscriptiones selectas interpretabitur bis hebdomade hora IX.
II. M. Tullii Ciceronis de republica libros interpretabitur selectosque S. Augustini et Lactantii locos conferet bis terve hebdomade hora IX.
III. Exercitationes philologicas instituet ter hebdomade horis definiendis.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

I. Physicam experimentalem docebit diebus Lunae et Jovis hora XI.
II. Theoriam sectionum conicarum explanabit hora definienda.
III. Calculum differentialem et integralem docere perget et problemata geometrica et mechanica calculi integralis ope solvenda proponet hora definienda.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

I. Historiam generis humani primaevam resque populorum orientalium enarrabit ter per hebd. hora VIII.
II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae tradet bis per hebd. hora VIII.
III. Primordia et fata linguae Theodiscae exponet semel per hebd. hora VIII.
IV. De critica historiae tractandae ratione disseret semel per hebd. hora definienda.

Dr. Frid. Michelis, P. P. O.

Nullas scholas habebit.

Dr. Jos. Krause.

I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebd. hora X.
II. Logicam et noëticam docebit ter per hebd. hora X.
III. Historiam philosophiae medii aevi exponet semel per hebd. hora X.

PUBLICA DOCTRINAE SUBSIDIA.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt.**